



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De lectoribus. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

clauē, omnia intus & extra custodiunt: atq; inter
 bonos & malos habentes iudicium, dignos reci-
 piunt, indignos respuunt. Vnde & eis cum ordinā-
 tur. clauēs ecclesię dantur ab Episc. Et dicitur eis
 Sic agite, tanquam rationē Deo reddituri pro re-
 bus quę clauibus istis recluduntur. Hoc officium
 Dñs in sua persona suscepit, quando flagello de funi-
 culis facto vendentes & ementes eiecit de tem-
 plo. Ipse enim se ostium significans dicit, Ego
 sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, &
 ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.

De Lectoribus.

Secundus est gradus Lectorum. Lectores à legen-
 do, sicut psalmistę à psalmis canendis, vocati sunt.
 Illi n. prædicant populis quid sequantur: isti can-
 tant & excitant ad compunctionē animos audiē-
 tiū: licet quidā lectores ita miserabiliter pronun-
 tiant, vt quosdā ad luctum & lamentationē com-
 pellant. Idē etiam pronuntiatores vocantur, qui
 porrò ante nuntiāt: quia tam erit clara eorū vox,
 vt etiā longē positorum aures adimpleat. Ad Le-
 ctorē a. pertinet lectiones pronuntiare, & ea, quę
 Prophetę vaticinauerunt, populis prædicare: vt
 iam ex officio in ecclesia legat prophetias & lectio-
 nes. Vnde & ei vidente populo, traditur ab Episc.
 codex diuinarum lectionum, & dicitur. Accipe, &
 esto verbo Dei relator: habitur⁹ si fideliter imple-
 ueris officium, parē cum his, qui benē verbum Dei
 ministrauerunt. Qui ad hunc gradū puehitur, li-
 terarū sc. etiā debet esse instruct⁹, vt sensum ver-
 borum intelligat, vim accentuū sciat, distinctē le-
 gat: ne confusione plicationis intellectū auditorib.
 auferat. Attēdat quid indicatiuē, quid interroga-
 tiuē sit intelligēdum. Vbi sit in oratione faciendā
 distinctio. Hęc n. malē seruata, intellectū turbant,
 & alios ad risum prouocant. Aurib⁹ & cordi con-
 sulere debet vox lectoris. Hoc officium impleuit
 Chri-

*Cap. 6. con-
 cil. Carth. 4.*

Ioan. 2. c

Ioan. 10. b

*Isidor. ad fi-
 nē c. 12. li. 7.
 etymol.*

*Idem dist. 25
 s. Perlectis.*

*Dist. 23. cap.
 Lector.*

Luca 4. c

Christus cum in medio Seniorum librum Esaię a-^{Esa. 61. #}
 periens, distinctè ad intelligendum legit, Spiritus
 Domini super me, &c. Ex quo lectorib. datur intel-
 ligi, quia gratia spirituali clarere debent, qui aliis
 verbum Dei annuntiant Hic ordo firmam & ini-
 tium à prophetis accepisse videtur: quib. dicitur,
 Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam. ^{Esa. 58. #}

De Exorcistis.

E

Tertius est ordo Exorcistarum. Exorcistę a. ex ^{Isidor. cap. 2.}
 Gręco in Latinum adiurantes vel increpates vo- ^{lib. 7. etym.}
 cantur. Inuocant n. super catechuminos, & super ^{Raba ca. 10.}
 eos, qui habēt spiritum immundum, nomen Do- ^{lib. 1. de in-}
 mini adiurantes per eum, vt egrediatu- ^{stitutione}
 Ad ^{clericorum.}
 Exorcistam pertinet exorcismos memoriter reti-
 nere, manusq; super energuminos, & catechumi-
 nos in exorcizādo imponere. Debet a habere spi-
 ritum mundum, qui spiritib. immundis imperat:
 & malignum expellere de corde suo, quę expellit
 de corpore alieno: ne medicina quā alii facit, sibi
 non profit & dicatur eis; Medice cura te ipsum. ^{Luca 4. d}
 Hi cum ordinātur, accipiunt de manu Episcopi librū
 exorcismorum: & dicitur eis. Accipite, & habete
 potestātē imponendi manus super energuminos
 vel catechuminos. Hoc officio vsus est Dominus,
 quando saliuā suā tetigit aures & linguam surdi &
 muti, dicēs: Effeta, quod est Adaperire: per hoc do- ^{Matth. 8. d}
 cēs nos spiritualiter debere aperire aures p̄cor- ^{Luca 8. d}
 diorum hominum ad intelligendū, & ora ad con-
 fitendum: vt pulso dęmone, Spir. S. fas suum reci-
 piat. Hoc etiam officio vsus est Christus, cum dę-
 moniacos multatos sanauit. Hic ordo à Salomone ^{Iosephus cap;}
 videtur descendisse: qui quendam modum exor- ^{1. lib. 8. anti-}
 cizandi inuenit, quo dęmones adiurati ex obses- ^{quitatum.}
 sis corporibus pellebantur Huic officio mancipa-
 ti Exorcistę vocati sunt. De quibus Christus in ^{Matth. 12. c}
 Euangelio, Si ego in Beelzebub eiicio dęmonia: ^{Luca 11. c}
 filii vestri, scil. Exorcistę, in quo eiiciunt?

Fff 5

De